

# JAHRESBERICHT

des

K. K. ZWEITEN OBERGYMNASIUMS

in Lemberg

für das Schuljahr

1893.



LEMBERG.

BUCHDRUCKEREI DES STAUROPIGIANISCHEN INSTITUTS.

*Geschäftsleiter : Johann Puchyr.*

1893.



nr. 1245  
Spr. 132

## I n h a l t:

1. De Comitiorum centuriatorum mutata ratione. Von J. Sanojca.
2. Schulnachrichten vom Director.



**U**nter omnia Romanorum instituta, quae circa reipublicae gubernationem versantur, vel primo loco nominanda sunt populi comitia, quibus praecipuas civitatis partes peractas esse: magistratus scilicet iisdem creatos, leges omnes latas, etiam iudicia quaedam itemque multa ad rem militarem pertinentia exercita esse satis constat, id quod Dionysius Halicarn. Romulum populo impertivisse memoriae his tradidit dictis (l. II. c. 11):
   
*τῷ δὲ δημοτικῇ πλὴθει τρία ταῦτα ἐπέτρεψεν ἀρχαιρεσιάζειν τε καὶ νόμους ἐπιτεροῦν καὶ περὶ πολέμου διαγιγνώσκειν, ὅταν ὁ βασιλεὺς ἐφῆ, οἷδὲ τούτων ἔχοντι τὴν ἐξουσίαν ἀνεπίληπτον, ἂν μὴ καὶ τῇ βουλῇ ταῦτά δοκῇ.* (Conf. Dion. Hal. l. IV. c. 20.).

Cum igitur comitia populi Romani cum reipublicae statu ac conditione artissime coniuncta fuisse iam inde appareat, eadem non semper eandem rationem et formam retinere potuisse immo vero variis temporibus varium in modum mutata esse vix quemquam potest fugere; namque ipse civitatis status variis mutationibus obnoxius erat. Quod verum esse vel inde elucere videtur, quod praeter curiata comitia, quae olim sola omnes cives in 30 curias divisos continebant, multos post annos, cum Servio Tullio regnante plebs iure civitatis donata esset, comitia centuriata, quorum universus populus erat particeps, et liberae iam reipublicae temporibus com. tributa, quae initio non nisi rebus plebeiorum deinde autem patriciorum quoque inserviebant, exstiterunt. Itaque pristina comitiorum forma labentibus annis, prout civitatis res mutatae postulabant, transformaretur necesse fuisse per sese intellegitur; neque enim auctae reipublicae conditioni prior eorum ordo sufficere poterat.

Ceterum comitiorum centuriatorum — ut hoc loco cetera genera silentio praetermittam — ordinem a Servio Tullio institutum posteriore tempore reapse esse mutatum veteres Romanarum rerum scriptores testantur. Quae quidem antiquitatis testi-

monia huc pertinentia cum omnino perpauca sint eaque tam generatim de illa mutatione dicant, ut variis coniecturis late pateat campus, nimirum viri docti, qui hac in re investiganda magnum studium atque eximiam operam collocaverunt et quorum numerus a XVI. inde p. Chr. n. saeculo. quo Octavius Pantagathus primus, quod sciamus, hanc quaestionem tractandam suscepit, usque ad nostra tempora innumerabilis est, alii aliud et de ratione mutatorum comitiorum et de tempore eiusdem mutationis proferunt; neque vero omnes cum de mutationis ratione ac modo tum de tempore certa atque explorata, sed multi verisimilia modo constituunt.

Quantopere vero opiniones virorum doctorum a sese distent, ut cognoscatur, liceat mihi iam hic paucissimis verbis monere: alios Servianum comitiorum cent. ordinem ita commutatum esse, ut 193 centuriarum numerus ad 70 centurias imminueretur, alios ita, ut ad 374 aut 385 cent. augetur, persuasum sibi habere; ipsam autem mutationem alios ad liberae reipublicae Romanae initia, alios ad primi belli Punici tempus, alios ad posteriora tempora referre; aliis posteriorem centuriarum ordinem popularem fuisse, aliis in optimatum commodum abiisse videri.

Iam inde dilucide apparet, quaenam difficultates rem, de qua agitur, investigantibus sese offerant. Nempe desiderantur luculenta antiquorum scriptorum testimonia de tempore mutationis deque mutatorum comitiorum cent. ratione; quae penuria culpanda est, quod coniectando viri docti formam ac rationem mutatorum comitiorum cent. aequae ac tempus ipsius mutationis definire ac constituere dum conantur, varias in partes in opinionibus suis proferendis discedunt. Denique hominum doctorum miro quodam studio atque opera singulari omnibus quidem ex partibus haec quaestio excussa, sed partim imbecillis atque ad probandum infirmis coniecturis contorta atque implicita est. Quo factum est, ut in rebus Romanis enarrandis, quamvis multa sint incerta ac dubia, vix quidquam invenias, quod hac, de qua agitur, re sit obscurius.

Attamen operae pretium est antiquitatis testimonia et varias ac diversas virorum doctorum sententias de centuriarum comitiorum mutata ratione denuo accurate perscrutari ac percensere et, quae maiorem probabilitatis speciem prae se ferunt, eas comprobare, alias autem utpote minus verisimiles abicere ac respuere, ut, quo tempore ordo comitiorum centuriarum, quem Servius Tullius instituisse fertur, immutatus esse quaeque commutati ordinis ratio fuisse videatur, cognosci possit; id quod huius dissertationis onus ac munus est.

In magna autem materiae varietate atque amplitudine versari cum mihi oporteat, quam in meo libello conscribendo rationem quamque viam persecuturus sim, iam hoc loco ut profitear, superest. Atque instituo, sicuti ipsa res, quae tractatur, postulare videtur, duas partes praecipuas, quarum prima de ipsa comitorum cent. mutata ratione agitur, altera tempus, quo haec mutatio videtur facta esse, declaratur; primae vero partis aliquot capita distinguuntur; accedit appendix minuscula de mutatorum comitorum cent. forma posteriore. Itaque totius dissertationis existit haec rerum dispositio:

**A.** Quae fuerit comitorum centur. mutata ratio:

Cap. I. de commutati ordinis centuriarum numero:

§. 1. de commutati ordinis centuriarum numero perditum;

§. 2. de commutati ordinis centuriarum numero equitum;

§. 3. de commutati ordinis centuriis „extra classes“ h. e. fabrum, cornicinum, al.

Cap. II. de mutatorum centuriatorum comitorum ratione ac necessitudine tribuum cum centuriis et de suffragia ferendi ac renuntiandi modo;

Cap. III. fueritne ratio mutatorum comitorum cent. popularis, an abierit in commodum optimatum.

**B.** Quo tempore comitia cent. mutata esse videantur.

**A p p e n d i x.**

Quam formam mutata comitia cent. annis posterioribus prae se tulerint.

## A.

### Quae fuerit comitiorum centuriarum mutata ratio.

#### Cap. I.

#### De commutati ordinis centuriarum numero.

##### §. 1.

#### De commutati ordinis centuriarum numero peditum.

Libri I. cap. 42. et 43. T. Livius ordinem comitiorum centur. a Servio Tullio institutum enarrat hunc in modum: *Censum enim instituit* (sc. Servius Tull.)... *tum classes centuriasque et hunc ordinem ex censu descripsit... ex iis, qui centum milium aeris aut maiorem censum haberent, octoginta confecit centurias, quadragenas seniorum ac iuniorum; prima classis omnes appellati... additae huic classi duae fabrum centuriae... secunda classis intra centum usque ad quinque et septuaginta milium censum instituta, et ex iis, senioribus iunioribusque, viginti conscriptae centuriae... tertiae classis [in] quinquaginta milium censum esse voluit; totidem centuriae et hae eodemque discrimine aetatium factae... in quarta classe census quinque et viginti milium; totidem centuriae factae... quinta classis aucta; centuriae triginta factae... [in] his accensi cornicines tubicinesque, in duas centurias distributi; undecim milibus haec classis censebatur. hoc minor census reliquam multitudinem habuit; inde una centuria facta est... ita pedestri exercitu ornato distributoque, equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias. sex item alias centurias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratae erant, nominibus fecit... gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur et vis omnis penes primores civitatis esset. equites enim vocabantur primi<sup>1)</sup>; octoginta inde primae classis centuriae [primum peditum vocabantur]; ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundae classis vocarentur, nec fere unquam infra ita descenderent, ut ad infimos pervenirent. Quibus rebus traditis rerum scriptor addit haec: nec mirari oportet hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque et triginta tribus duplicato earum nu-*



*mero centuriis iuniorum seniorumque, ad institutam ab Servio Tullio summam non convenire. quadrifariam enim urbe divisa regionibusque et collibus, qui habitabantur, partes eas tribus appellavit, ut ego arbitror, a tributo; nam eius quoque aequaliter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est; neque eae tribus ad centuriarum distributionem numerumque quicquam pertinere.*

Extremis Livii dictis proxime accedere videtur iudicium Dionysii Halicarn., qui haec de Serviano centuriarum ordine memoriae prodidit (l. IV. c. 21.): οἷτος ὁ κόσμος τοῦ πολιτεύματος ἐπὶ πολλὰς διέμεινε γενεὰς φυλαττόμενος ὑπὸ Ῥωμαίων. ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς κεινῆται χρόνοις καὶ μεταβέβληκεν εἰς τὸ δημοτικώτερον, ἀνάγκαις τισὶ βιασθεῖς ἰσχυραῖς οὐ τῶν λόγων καταλυθέντων, ἀλλὰ τῆς κλίσεως αὐτῶν οὐκέτι τὴν ἀρχαίαν ἀκριβεῖαν φυλαττούσης, ὡς ἐγγὼν ταῖς ἀρχαιεσίαις αὐτῶν πολλάκις παρῶν.

Ex Livii ac Dionysii locis, qui modo allati sunt, dilucidissime apparet Servianum ordinem centuriarum lapsis annis mutationem perpessum esse; id quod comprobant omnes viri docti, qui hanc quaestionem tractandam susceperunt, paucis exceptis, qui Servii T. centuriarum numerum non esse mutatum infelici quadam subtilitate detortis in suam ipsorum sententiam antiquitatis testimoniis perverse statuere minime dubitent; quorum argumentationes ne ulla quidem refutatione digna esse videntur, quippe quae certis de comitiorum cent. mutatione veterum testimoniis repugnent itaque per se ipsae corruant<sup>2</sup>).

At cum nihil subsit causae, quin comitia cent. postea pristinam formam amisisse statuas, ad modum ac rationem ipsius mutationis quod attinet, sententiae hominum doctorum, ex quo hanc rem tractari coeptam esse scio, duas in partes discedunt, dum ex Livii verbis: *duplicato earum* (sc. 35 tribuum) *numero centuriis iuniorum seniorumque* alii, quinque Servii classium ratione habita, numerum centuriarum posterioris temporis maiorem, alii, illis classibus e mutato comitiorum cent. ordine exclusis utpote a Livio loco laudato non nominatis, minorem Serviano numero fuisse coniciunt idque variis argumentis comprobare conantur.

Qui viri docti priorem de commutatis comitiis cent. sententiam sequuntur<sup>3</sup>), Octavii Pantagathi opinionem de comitiis cent. posterioris ordinis comprobant, quam Ant. Augustinus a sese accurate olim litteris mandatam ad Ursinum misisse traditur<sup>4</sup>).

Atque elucet, Pantagathi iudicio, ex Livianis dictis: Servii comitia eo differre a posterioribus, quod post expletas 35 tribus alia summa non 70 centuriarum in omnibus classibus, sed in singulis classibus confecta sit, ita ut I. classis constaret ex 35 cent. equitum, 35 iuniorum totidemque seniorum peditum centuriis,

II. classis totidem haberet seniores atque iuniores, equites nullos haberet, sic etiam III., IV., V. class. Hoc modo fiunt, contendit Pantag., centuriae 385. Singulae centuriae distinguuntur nominibus tribuum; est enim—Cicerone<sup>5)</sup> teste — centuria pars tribus. Binae centuriae peditum sunt in singulis classibus, una equitum in I. classe ex singulis tribubus. Quodsi quis etiam equites existimat in seniores et iuniores divisos fuisse, tum 70 equitum centuriae fuerint necesse est, et numerus omnium centuriarum 420. Nomina singularum centuriarum nominibus tribuum<sup>6)</sup> explicari posse Pantagatho videntur. Ut enim apud Livium<sup>7)</sup> invenimus „Galeriam iuniorum“ centuriae nomen fuisse, quae praerogativa fuerit comitiorum cent., et „Veturiam iuniorum“<sup>8)</sup>, quae habuerit alios seniores, cum quibus consuluerit, h. e. centuriam eiusdem tribus et classis „Veturiam seniorum“ dictam, sic facile persuasi sumus omnes centurias ita esse appellatas. Itaque primae classis erat „Palatina equitum“, quae, si duplex fuit, „Palat. equit. seniorum“ et „Pal. equit. iuniorum“, item peditum „Pal. seniorum“ et „Pal. iuniorum“; simili modo „Suburana iuniorum“ et „Sub. seniorum“; sic ceterae centuriae ex tribuum nominibus dicebantur. Secundae autem classis item erat peditum „Palat. iuniorum“ et „Pal. seniorum“, „Suburana iuniorum“ et „Sub. seniorum“ ect. Pariter tertiae, quartae, quintae classis centuriae vocabantur. Apparet hac ratione tribus ad comitia cent. posterioris temporis pertinuisse, ad prioris non pertinuisse, ut ait Livius. Quapropter centuriae saepe tribus appellantur utpote tribus, ut dictum est, partes. Quod testantur Ciceronis verba<sup>9)</sup>: *Itaque me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus, neque singulae voces praekonum, sed una voce universus populus Rom. consulem declaravit.* Similiter et praerogativa cent. et ceterae iure vocatae saepe „tribus“ dicuntur. Namque Ciceronem non tributis comit. consulem, sed centuriatis factum esse apparet ex eiusdem verbis<sup>10)</sup>: *ut eadem centuriae, quae me consulem fecerant, consulatum meum comprobarent.*

Itaque, Pantagathi sententia, comitiorum cent. posterioris temporis haec fuit forma:

I. class:			
	35 aut 70 centuriae equitum		
	35 cent. seniorum	}	peditum
	35 „ iuniorum		
II. class:		IV. class:	
35 cent. seniorum	}	35 cent seniorum	}
35 „ iuniorum			
III. class:		V. class:	
35 cent. seniorum	}	35 cent seniorum	}
35 „ iuniorum			



Unde summa 385 aut 420 centur. efficitur.

Hanc Pantagathi de comitiorum cent. mutata ratione sententiam, quae consulto ad verbum fere exscripta modo prolata est, plerique viri, si universum spectes, dum sequuntur, de equitum centuriarum numero aliisque minoris momenti rebus variant, ut infra proferetur.

A qua vero opinione prorsus distat iudicium eorum<sup>11)</sup>, qui Livii verba ita interpretantur, ut — omni classium discrimine in recentioribus comitiis cent. neglecto — unius eiusdemque tribus duas modo centurias fuisse statuunt aetate solum distinctas sine ulla ordinum censusve distinctione, deinde omnium centuriarum summam fuisse 70 aut paulo maiorem, si centurias equitum aliasque extra classes i. e. fabrum, tubicinum cornicinumque, capite censorum centurias adnumeres.

Quae cum ita sint, contemplemur necesse est, quibus rebus innixi viri docti de mutatorum comitiorum cent. ratione alii aliud statuunt, unde cognosci possit, utra sententia utpote probabilior alteri praeferenda esse videatur.

Iam supra obiter tactum habes differentiam sententiarum de novi ordinis centuriarum numero ex eo pendere, utrum Serviani illius ordinis 5 classes, quarum Livius l. l. ne verbo quidem fecit mentionem. in ordine commutato remansisse an sublatas esse statuas. Quas Pantagathus et qui eum sequuntur retentas esse dum contendunt, ita ut intra unamquamque ex 35 tribubus 10 centuriae, binae (1 sen. et 1 iun.) scilicet singularum classium, intra omnes igitur tribus 350 centuriae peditum (de equitum centuriis aliisque infra disputabitur) descriptae sint, adversarii Pantagathi opinionis classibus a Servio institutis in posteriore comitiorum cent. ordine nihil loci fuisse persuasum sibi habent.

Atque Niebuhrius<sup>12)</sup> — ut iam singula disceptentur — non nisi civium divisionem in patricios et plebeios in forma comitiorum cent., quae postea inducta est, retentam, omnia autem cetera extincta ac sublata esse putat. Omnes tribus, eiusdem iudicio, in 2 classes sunt distributae, ita ut I. class. ex 12 cent. equitum plebeiorum et 6 cent. equit. patriciorum et 54 cent. peditum (2 cent. singularum trib. rustic.), II. class. autem ex 8 cent. 4 tribuum urbanarum constaret.

Niebuhrii opinionem totas tribus ad unam classem spectavisse Zachariae<sup>13)</sup>, Unterholznerus (l. l.), Huschkeus<sup>14)</sup> explicare conantur. Schulzio<sup>15)</sup> modo 71 novae centuriae h. e. 2 cent. peditum in unaquaque tribu et 1 cent. capite censorum fuisse, ad quas centuriae equitum accessisse videntur; ambae centuriae singularum tribuum — huiusce opinione — ex censu in 5 par-

tes divisae erant, nec tamen iis plus quam duo suffragia fuerant. Tophoffius<sup>16)</sup> opinatur omniium centuriarum recentioris ordinis numerum fuisse 70 non maiorem, scilicet binas singularum trium non nisi aetate distinctas, omni ordinis et census discrimine neglecto, nec vero ulli centuriae fuisse principatum; quin etiam nullis centuriis equitum — centuriis ad tribus accommodatis — locum fuisse, praesertim cum praerogativa duceretur sorte. Ad duas autem classes, quae nonnumquam apud veteres rerum scriptores nuncupatae occurrunt, quod attinet, Tophoffius Ritteri opinionem, utpote quae aliquam veri speciem habere videatur, comprobat: 34 centurias, quae post praerogativam primae ad suffragium ferendum vocarentur, primam classem, illas 35 alterius aetatis centurias, quae post illas in ovilia mitterentur, secundam classem effecisse, ita ut, si praerogativa esset centuria iuniorum, centuriae iuniorum essent I. classis, centuriae seniorum II. classis, sin autem centuria seniorum esset praerogativa, centuriae senior. I. classis, centuriae iun. II. class. essent.

Similem in modum ratiocinantur omnes, quibus centuriarum ordinis recentioris numerus multo minor Servianis 193 centuriis videtur fuisse, excepto Pluessio, qui cum tres mutatorum com. cent. aetates distinxisset, prima aetate (a. 241.—179. a. Chr. n.) non nisi 70 cent. cum una praerogativa, sine ullis classibus et sine cent. equitum, altera (a. 179.—86.) item 70 cent. divisas in 5 class., scilicet 1 patriciorum ex statu, 3 plebeiorum ex censu, 1 plebeiorum ex statu (»Standesklasse«) descriptas, sine praerogativa, praeterea 12 et postea 6 equitum suffragia, tertia (a. 86. a. Chr. n. usque ad imperatorum temp.) 70 cent. intra singulas classes in decurias distributas, cum 6 classibus, 6 equit. suffragiis unaque praerogativa fuisse varium in modum mira quadam subtilitate persuadere nobis frustra conatur<sup>17)</sup>.

Quas omnes ratiocinationes equidem hic persequi superse-  
deo neque summatim silentio praeterire dubito, praesertim cum et ipsae certis quibusdam fundamentis careant et locis haud quaquam spernendis, ubi veteres rerum scriptores definite ac distincte de ordinis equestris ac pedestris discrimine, de censu classibusque mutatorum comit. cent. loquuntur, repugnent.

Sunt vero plures loci, qui classes in commutatis comit. cent. retentas esse testantur; ad quos conferendos ac disceptandos deinceps aggredior.

Sallustius (Bell. Jug. 86.) haec de Mario tradidit: *Ipse interea milites scribere non more maiorum, neque ex classibus, sed uti cuiusque libido erat, capite censos plerosque.* Apud Servium (ad Aen. l. VII. v. 716.) haec occurrit explicatio: *Partes populi classes vocamus, quae 5 fuerunt.* Quem locum eo maioris esse

momenti Mommsenus<sup>18)</sup> monet, quod etiam apud Ciceronem classes dicantur partes populi, e. gr. (Cic. de leg. l. III. c. 4.): *de capite civis nisi per maximum comitiatum ollosque, quos censores in partibus populi locassent, ne ferunt.* Quod ipse hoc modo interpretatur (ib. c. 19): *Ferri de singulis nisi centuriatis com. noluerunt. Descriptus enim populus censu, ordinibus, aetatibus plus adhibet ad suffragium consilii, quam fuisse in tribus convocatus;* accedit eiusdem loci cap. 3: *ensores populi aevitates, suboles, familias pecuniasque censento — populique partes in tribus distribuunt: exin pecunias, aevitates, ordines partiunt.* Quae quid significant, ex Gellii N. A. l. XV. c. 27. elucet, ubi Laelius Felix docet: *cum ex censu et aetate (sc. suffragium feratur), centuriata (sc. comitia esse).* — Cicero (Phil. II. c. 33.) Antonio improbat haec: *Ecce Dolabellae comitiorum dies; sortitio praerogativae; quiescit; renuntiatur; tacet. Prima classis vocatur; renuntiatur; deinde, ut assolet, suffragia; tum secunda classis.. Confecto negotio bonus augur (C. Laelium dices) „Alio die“<sup>19)</sup> inquit. Idem de Democrito philosopho profert, quae sequuntur (Acad. II. 23.): *Quis hunc philosophum non anteponit Cleanthes, Chrysippo reliquisque... qui mihi cum illo collati quintae classis videntur;* quo tralaticio dicendi genere eos philosophos inferiores Democrito fuisse Cic. designat, sicuti in comitiis infimus quisque ex plebe in V. classem conferebatur. — Alio Ciceronis loco (de rep. IV. 2.) legimus: *quam commode ordines descripti, aetates, classes, equitatus, in quo suffragia sunt etiam senatus; nimis multis iam stulte hanc utilitatem tolli cupientibus, qui novam largitionem quaerunt aliquo plebiscito reddendorum equorum.**

Livius iudicium populi de Claudio censore factum (a. 169. a. Chr. n.) enarrat (l. XLIII. c. 16.) ita: *quum ex 12 centuriis equitum 8 censorem condemnassent multaeque aliae primae classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi... vestem mutarunt.* De hacce re legimus apud Valerium Max. (l. VI. c. 5) haec: *diem his Rutilius trib. pl. perduellionis ad populum dixit.. Quo in iudicio primae classis permultae centuriae Claudium damnabant.* Etiam Aurelius Vict. huiusce facti mentionem facit (de vir. illustr. c. 57.) hac ratione: *et cum eum 2 classes<sup>20)</sup> condemnassent, Tiberius iuravit se cum illo in exsilium iturum.* — Pseudo-Sallustius (epist. ad Caesarem de rep. ordin. II. 7.) scribit: *omnes primae classis iudicare placet, et porro adicit (c. 8.): de magistratibus creandis haud mihi quidem absurde placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat, ut ex confusis 5 classibus sorte centuriae vocarentur. Ita coaequatur dignitate pecunia, virtute anteire alius alium properabit. Haec ego magna remedia contra divitias statuo.* Quae quidem verba rectissime Mommsenus



mihī quidem videtur interpretari hunc in modum<sup>21</sup>): ita sublato classium discrimine eaque dignitate, quae facit, ut I. classis prima suffragia ferat, virtute potius inter se contendent.

Iam qui modo prolati sunt veterum rerum scriptorum loci, eis novo comitorum cent. ordini classes vindicari haud difficile est cognitu. Quod ex Sallustii verbis laudatis »Marius milites scribere... plerosque« a nonnullis hominibus doctis colligitur: solis vero militibus conscribendis classes in commutatis com. cent. remansisse<sup>22</sup>), id minime esse probabile vel dilucidissime apparet ex aliis veterum scriptorum locis supra allatis. Quam ob causam vix potest dubitari, quin comitia cent. ordinis recentioris classes ex censu descriptas habuerint.

Sed quot commutatis comitiis cent. classes fuerint, nescio an non incertum videri possit, cum aliis veterum scriptorum locis alium earum numerum occurrere fortasse non nemo obiiciat.

Profecto ex nonnullis locis, qui citati sunt, nisi alia testimonia adessent, nihil sequeretur aliud, quam plures una classes posterioribus comitiis cent. fuisse; e Ciceronis denique loco (Phil. II. 33.) solo duas tantum classes fuisse primo aspectu coniciat quispiam. At si quis consideraverit suffragia ferendi rationem fuisse eiusmodi, ut, si modo maior suffragiorum numerus impetratus esset, suffragiorum latio dirimi posset, antequam omnes centuriae ad suffragium ferendum vocarentur, facile cognosceret ex Ciceroniano loco, quo 2 solae classes nominentur, minime sequi plures duabus omnino non fuisse. Quod Cicero verba „confecto negotio“ addit, ubi potius „paene confecto negotio“ vel aliquid simile nescio an exspectari possit, non est quod offensionis ansam praebet; totus enim Ciceronis locus hyperboles, quae dicitur, speciem prae se ferre videtur. Qua quidem figura oratorem suspicor usum esse, ut eo graviori verteret Antonio crimini, quod eo auctore augur obnuntiasset non ante comitia inita sed in media re, cum iam non nisi paucae centuriae ad maiorem suffragiorum numerum impetrandum deessent. (eterum si reapse negotium confectum esset, non opus esset obnuntiatio. Quae cum facta esset, elucet profecto etiam plures classes comitiis adfuisse, quae post II. classem ad suffragia ferenda vocari possent<sup>23</sup>).

Itaque hic, de quo agitur, Ciceronis locus una cum aliis, qui supra allati exstant, certum praebet testimonium: in recentiore comitorum cent. forma censum distinctum et 5 ex censu descriptas classes retentas esse. Quae quidem classes non nisi maiore centuriarum numero — prima classe excepta — a Servianis classibus distulisse videntur; adde quod numerus centu-

riarum novi comitiorum cent. ordinis par in omnibus classibus fuit.

Quae res cum ita se habeant, sententiam Pantagathi in singulis tribubus bis quinas, binas uniuscuiusque e 5 classibus, non binas omnino centurias (1 seniorum et 1 iuniorum) peditum in commutato comitiorum centuriatorum ordine institutas esse quominus comprobemus, nulla causa impedimur. Unde omnium centuriarum peditum 350 summam (h. e.  $2 \times 5 \times 35$ ) effectam esse calculo docemur.

§. 2.

De commutati ordinis centuriarum numero equitum.

Sed quid de illis 18 equitum centuriis, quas Servium descripsisse Livius<sup>24</sup>) docet, in posteriore comitiorum cent. ordine statuendum sit, iam consideremus.

Equitum centurias in recentioribus comitiis cent. remansisse praeter locos, quibus ordines nominantur, alii quoque testantur, quorum luculentissimi esse videntur hi: Cic. (Pro Mur. 26. 54.): *Nunc mihi tertius ille locus est orationis de ambitus criminibus..., quo in loco... S. Sulpicio de equitum centuriis... respondebo*<sup>25</sup>); Cic. (ad famil. XI. 16.): *Nunc, si me tanti facis, quanti certe facis, quoniam equitum centurias tenes, in quis regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat*; Cic. (Phil. VII. 6.): *Sed... dominabitur Lucius; est enim patronus 35 tribuum..., patronus centuriarum equitum Romanorum...;* Qu. Cic. (de pet. cons. 8. 33.): *iam equitum centuriae multo facilius mihi diligentia posse teneri videntur...;* accedit Livii locus iam supra prolatus, quo iudicium populi de Claudio censore traditum est.

Quibus ex testimoniis elucet opinionem nonnullorum veterum doctorum, qui e comitiorum cent. ordine posteriore illas equitum centurias excludere atque amovere haud dubitent<sup>26</sup>), cum omnibus carere fundamentis, tum antiquitatis longe certissimis testimoniis repugnare. Qua re in communem fere hominum doctorum sententiam adducor, qui veterum locis innixi pro certo statuunt equitum centuriis comitia cent. permutata minime caruisse.

Sed de earum centuriarum numero nescio an hoc loco quarendum sit.

Quod Pantagathus suspicatur Servianum equitum centuriarum numerum esse mutatum et primae singularum tribuum classi unam aut duas (sc. seniorum et iuniorum) equitum cen-



turias accessisse, omnino igitur 35 aut 70 equitum centurias in commutatis comitiis cent. fuisse, vix tibi, ut hoc comprobes, persuadet, quippe cum multo verisimilius videatur esse Servii Tull. equitum centuriarum numerum intactum in recentiore comitiorum cent. forma remansisse.

Verum enimvero contra Pantagathi iudicium testari videtur id, quod equitum centuriae in recentioribus comitiis cent. non eandem rationem ac ceterae centuriae (quae partes tribus erant) cum tribubus habuerunt, quoniam Ciceronis saltem temporibus centurias equitum modo ex iunioribus constitisse Marquardtius<sup>27)</sup> ex hoc Qu. Ciceronis (de pet. cons. VIII. 33.) conicit loco: *Iam equitum centuriae multo facilius mihi diligentia posse teneri videntur. Primum cognoscendi sunt equites; pauci enim sunt: deinde adipiscendi; multo enim facilius illa adulescentulorum aetas ad amicitiam adiungitur: deinde habebis tecum ex iuventute optimum quemque,* et quoniam equitum centurias etiam in commutatis comitiis cent. seorsum a ceteris centuriis suffragia tulisse iam ex his Livianis (XLIII. 16.) apparet dictis: *quum ex 12 centuriis equitum 8 censorem condemnassent multaeque aliae I. classis, extemplo principes civitatis. vestem mutant...*

Qui modo citatus est Livii locus sententiam de 18 equitum centuriis posterioris comitiorum cent. ordinis affatim fulcire ac stabilire videtur. Nominantur quidem apud Livium 12 non 18 centuriae equitum; at inde vix potest colligi minorem Serviano equitum centuriarum numerum posterioribus temporibus fuisse. Si enim consideraverimus Livium de Claudii patricii censoris (a. 169. a. Chr. n) condemnatione l. l. agere, facile intellegemus illum a 6 patriciorum equitum centuriis absolutum esse ab eaque causam rerum scriptorem, nulla mentione earum facta, de ceteris equitum centuriis hoc prodidisse memoriae: *quum ex 12 centuriis equitum (sc. plebeiorum) 8 censorem condemnassent...*<sup>28)</sup>

Scilicet equitum centuriae continebantur tribu quadam, id quod Marquardtius<sup>29)</sup> recte monuisse videtur; tributim quoque census earum agebatur, ut ex his Livii (XXIX. 37.) comperimus verbis: *Equitum deinde census agi coeptus est: et ambo forte censores (sc. M. Liv. Salinator et C. Claud. Nero) equum publicum habebant. Quum ad tribum Polliam ventum est, in qua M. Livii nomen erat, et praeco cunctaretur citare ipsum censorem: Cita—inquit Nero—M. Livium.* Sed inde vix potest conici eas centurias I. classi ex singulis 35 tribubus accessisse (id quod Pantagathus sibi persuasit), sive numerum 35 aut 70 centuriarum explevisse. Nec vero parvi momenti id esse videtur, quod equitum centuriae a tribubus distinguuntur e. gr. hoc Ciceronis loco (Phil.

VII. 6.): „*Sed... dominabitur Lucius; est enim patronus 35 tribuum... patronus centuriarum equitum Rom...*“ — His omnibus momentis computatis ac perpensis, verisimillimum est Servii 18 equitum centurias in comitiis cent. recentioribus retentas esse; id quod omnes fere homines docti, qui Pantagathi sententiam de comitorum cent. forma recentiore ceteroquin sequuntur, statuere non dubitant.

De hac re hucusque. Nunc monendum est, quam equitum centuriae rationem cum ceteris centuriis posterioris ordinis habuerint; sed id infra demum, ubi de mutatorum com. cent. suffragia ferendi modo agetur, accuratius explicari atque ostendi potest.

---

### §. 3.

#### De commutati ordinis centuriis „extra classes“.

De quattuor centuriis fabrum aerariorum, tignariorum, cornicinum tubicinumque aequae ac de centuria capite censorum, quas in Servianis comitiis cent. occurrisset minime est ignotum, nulla certa veterum rerum scriptorum testimonia posterioris temporis exstant; quo fit, ut perdifficile sit pro certo statuere, utrum eae centuriae reapse in commutatis comitiis cent. existerint, necne.

Quid de iis Pantagathus putaverit, non liquet. Recentiorum autem temporum omnes fere viri docti et quidem alii singulas, alii omnes eas centurias posterioribus comitiis cent. vindicant<sup>30)</sup> e. gr. Savignus<sup>31)</sup> unam centuriam capite censorum, Mommseus<sup>32)</sup> unam cent. fabrum tignariorum, unam fabrum aerariorum, unam liticinum, unam cornicinum unamque proletariorum; similiter agunt Langeus<sup>33)</sup>, Herzogius<sup>34)</sup>, alii; Goettlingius<sup>35)</sup> autem suspicatur in quattuor urbanis tribubus singulas centurias capite censorum seu proletariorum quintae classi accessisse omninoque 354 centurias peditum in comitiis cent. recentioris temporis suffragia tulisse.

Quam ad rem statuendam viri docti eo ducuntur, quod ex iis centuriis imperatorum temporibus varia collegia: colleg. fabrum tignariorum Romanensium, colleg. liticinum cornicinum existisse videantur<sup>36)</sup>. Adde quod Herzogius (loco modo laudato) censores, qui comitia cent. commutanda susceperunt, negat quemquam suffragio excludere potuisse.

Quae quidem omnia si recte disputata sunt, comitia cent. posterioris temporis ex 350 peditum centuriis, 18 equitum c.,

5 „extra classes“ c., omnino ex 373 centuriis constitisse admodum verisimile est; quem centuriarum numerum omnes fere homines docti, qui Pantagathi sententiam, si universum spectes, non improbant, commutatis comitiis cent. vindicant. Quae omnes centuriae quam ratione in 5 classes distributae esse videantur, ut eo facilius cognosci possit, liceat mihi hoc loco Mommse-  
ni<sup>37)</sup> hanc repetere distributionem:

I. class:

tribuum centuriae ingenuorum . . . . .	70
equitum cent. . . . .	18
fabrum tignariorum cent. . . . .	1
	<hr/>
	89

II. class:

tribuum centuriae ingenuorum . . . . .	70
fabrum aerariorum cent. . . . .	1
	<hr/>
	71

III. class:

tribuum centuriae ingenuorum . . . . .	70
--	----

IV. class:

tribuum centuriae ingenuorum . . . . .	70
liticinum cent. . . . .	1
	<hr/>
	71

V. class:

tribuum centuriae ingenuorum . . . . .	70
cornicinum cent. . . . .	1
proletariorum cent. . . . .	1
	<hr/>
	72

Unde omnium centuriarum summa 373 efficitur.

Ad hunc 373 centuriarum numerum fortasse etiam centuriam „ni quis scivit sciscito“ („in qua“ — Festo<sup>38)</sup> teste — „*liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua*“) accessisse multi viri docti<sup>39)</sup> suspicantur, quibus omnino 374 centuriae in recentioris ordinis comitiis cent. suffragia tulisse videntur.

Cap. II.

**De mutatorum comitiorum cent. tribuum cum centuriis ratione et de suffragia ferendi renuntiandique modo.**

Quod ex Livii (l. I. c. 43. §. 13.) verbis „*quattuor veteres Servianas tribus ad centuriarum distributionem non pertinuisse*“ homines docti<sup>30)</sup> argumento a contrario, ut dicitur, coniciunt posterioris ordinis 35 tribus ad centuriarum distributionem numerumque pertinuisse, id certis veterum scriptorum testimoniis comprobari potest.

Iam supra sunt propositi aliquot Livii loci qui optimo sunt documento singulas centurias nominibus tribuum appellatas ac distinctas esse. Accedit, quod Cicero<sup>31)</sup> centuriam dicit partem tribus. Quapropter centurias saepenumero nominatas esse tribus Pantagathus docuit<sup>32)</sup>. Fuerunt vero intra singulas tribus centuriae seniorum et cent. iuniorum<sup>33)</sup>. Unde sequitur, quinque classium ratione habita, singulas tribus e denis centuriis [sc. 5 seniorum et 5 iuniorum] constituisse, quarum binae ad unam pertinebant classem<sup>34)</sup>; singulas centurias enim partes certae cuiusdam classis fuisse veterum scriptorum testimonia minime deesse iam supra vidimus. Itaque centurias recentioris comitiorum cent. ordinis ad 35 tribus accommodatas fuisse vix ququam neget.

Quo factum est, ut commutatorum comitiorum cent. suffragia ferendi modus a prioris aetatis ratione prorsus differret. Qui quidem qualis fuerit, non ex re fore videtur hoc loco paucis saltem verbis commonere.

Dum Livius (l. I. c. 43. § 10. s.) docet in Servianis comitiis cent. vim omnem fuisse penes primores civitatis, quippe cum equitum centuriae vocarentur primae ad suffragia ferenda, deinde 80 primae classis centuriae et, si eae dissentirent, 20 centuriae classis secundae: longe diversus suffragiorum ferendorum modus posterioribus temporibus observabatur. Atque priusquam centuriae in suffragium mitterentur, nomina centuriarum in cistam vel urnam coniciebantur; cuius centuriae sors prima exierat, ea erat centuria „praerogativa“ atque ita appellata est, quia prima rogabatur suffragium<sup>35)</sup>.

Eiusdem vero centuriae quanta fuerit auctoritas, ex hoc Liviano testimonio (l. XXVI c. 22.) cognoscitur: „*auctoritatem praerogativae omnes centuriae sunt secutae*“; id quod plerumque fieri solitum esse multis aliis veterum scriptorum testimoniis comprobari potest<sup>36)</sup>. Quam ob rem Cicero (de divin. l. I. c. 45. § 103.)



contendit: „*praerogativam maiores omen iustorum comitorum esse voluerunt*“. Itaque in praerogativae suffragio ominis instar observato haud ignota populi Romani superstitione cernitur.

Praerogativam centuriam nomine tribus, cuius pars erat, designatam esse comperimus ex Livianis (l. XXVII. c. 6.) dictis: „*Galeria iuniorum, quae sorte praerogativa erat...*“ et (l. XXIV. c. 7.): „*eo die cum sors praerogativae Aniensi iuniorum exisset...*“ et (l. XXVI. c. 22): „*praerogativa Veturia iuniorum declaravit (sc. consulem) T. Manlium*“<sup>47</sup>).

Sed quinque intra singulas tribus classium ratione habita, offendit, quod ubique locorum veterum rerum scriptorum praerogativa centuria, nullo classis numero addito, nominatur. Cui offensioni hoc modo viri docti student mederi, ut ius praerogativae sortiendae non nisi primae classi obtigisse coniciant; qua quidem coniectura omnem offensionis ansam tolli non difficile est perspectu<sup>48</sup>). Neque enim Livius adiecit, cuius classis esset „*Galeria iuniorum*“ aut „*Veturia iuniorum*“, cum satis constaret illam primae fuisse classis.

Quod autem nonnulli Pantagathi sententiae adversarii contendunt omnibus centuriis eadem fuisse iura ideoque ex omnibus centuriis praerogativam sorte creatam esse<sup>49</sup>), id ipsum per se corruat necesse est, quippe cum classes in posterioris aetatis comitiis cent. distinctas fuisse certissimum sit, ut iam supra est doctum ac comprobatum. Quod si praerogativam centuriam solo tribus nomine, nullo classis numero adiecto, designatam esse constat, neminem apparet ullo modo potuisse scire, cuius classis centuria iuniorum aut seniorum sorte evenisset, nisi hoc iure praecipuo donata esset prima classis. Ceterum primae classi ex censu ius praerogativae centuriae sortiendae contigisse videtur; praeterea hoc concessum esse primae classi—existimavit Ursinus<sup>50</sup>) —pro vetere iure, quo vis omnis suffragiorum in centuriis equitum et peditum primae classis, si non variarent, constitisset.

Neque vero ulla invenitur causa, qua Niebuhrii comprobeatur opinio<sup>51</sup>) (quam praeter alios sequitur Herzogius)<sup>52</sup>): praerogativam centuriam nisi ex rusticis tribubus non esse electam.

Similiter inde, quod illis Livianis locis praerogativa occurrit semper iuniorum centuria, minime mihi quidem videtur sequi (quod inter alios Huschkeus<sup>53</sup>) sibi habet persuasum) solas iuniorum, non seniorum quoque centurias ius praerogativae sortiendae habuisse.

Postquam centuria praerogativa suffragium tulit nec statim intercessum aut obnuntiatum est, is, qui comitiis praeerat, rogatorem centuriae exitum sibi tradere — id quod „*praerogativam referre*“ (Cicerone auctore<sup>54</sup>) dicebatur — eumque sine dubio



renuntiare praeconem iubebat; cuius rei testimonium Ciceroni<sup>55)</sup> debemus.

Post centuriam praerogativam vocabantur in saepta<sup>56)</sup> ad suffragium ferendum ceterae 35 tribuum centuriae; quae quidem praerogativae, cui sorte obtigerit, ut prima in suffragium mitteretur, opponuntur et „iure vocatae“ a scriptoribus veteribus<sup>57)</sup> appellantur, quia illud iuri, utpote quod civibus Romanis esset, non sorti debebant.<sup>58)</sup> Vocatae autem esse videntur deinceps ex censu h. e. secundum 5 classes: primum centuriae seniorum et iuniorum primae classis, deinde secundae, tum tertiae, quartae, quintae. In comitiis cent. recentioris formae singulas classes uno vocatu in suffragium esse missas veterum scriptorum exstant testimonia.<sup>59)</sup> Itaque septuaginta centuriae (sc. 35 seniorum et 35 iuniorum) unius classis uno tempore suffragia tulisse videntur.<sup>60)</sup>

Simul cum primae classis 70 centuriis etiam equitum 18 centuriae primum vocatae esse eaeque in separatis spatiis suffragia tulisse videntur; id quod conici potest ex illo Liviano loco quo Claudium censorem equitum centuriae et multae aliae I. classis condemnasse dicuntur. Attamen Marquardtius dum illum Livii locum ad renuntiationem, non ad lationem suffragiorum refert, equitum centurias una cum primae classis centuriis suffragia tulisse eaque prima seorsum renuntiata esse persuasum sibi habet<sup>61)</sup>; id quod minime probabile mihi quidem videtur, quippe cum equitum centuriae plerumque separatim nominentur.

Nec veridissimile Langeo<sup>62)</sup> esse videtur centurias fabrum una cum II. classis centuriis, centurias tubicinum cornicinumque una cum IV. classis centuriis, centuriam capite censorum una cum V. classis centuriis in suffragium vocatas esse. Qua vero coniectura Lang. studet explicare id, quod in Servianis comitiis cent. Livius (l. I. c. 43.) centurias fabrum una cum prima et Dionysius Halic (l. IV. c. 17.) una cum secunda, centurias autem tubicinum cornicinumque Livius una cum quinta et Dionysius H. una cum quarta classe suffragia tulisse memoriae prodiderunt. Itaque refert Lang. id, quod Livius docet, ad Serviana comitia, id autem, quod apud Dionysium H. legitur, ad commutatum comitorum cent. ordinem.<sup>63)</sup>

Ad quintam classem etiam centuriam „*ni quis scivit, sciscito*“ in suffragiis ferendis accessisse multi viri docti statuunt<sup>64)</sup>; quae opinio eo est probabilior, quod in rem mutatorum comitorum cent. fuit civium ius suffragii, quam maxime potuit, respici.

Itaque in recentiore comitorum cent. ordine 374 centurias tulisse suffragia non est veridissimile. Scilicet singularum classium suffragia a praeconibus<sup>65)</sup>, quibus rogatores singularum centu-

riarum suffragia rettulerant, eo, qui comitia habebat, iubente, certo quodam tribuum ordine observato<sup>66</sup>), renuntiabantur. Quibus rebus perfectis is, qui comitiis praeerat, sollemni renuntiationi, qua comitiis finis imponebatur, locum dabat<sup>67</sup>).

Attamen sententiam Pantagathi de comitiorum cent. forma recentiore, quod ad suffragia ferenda ac renuntianda spectat, difficultate quadam laborare vix quemquam fugere potest. Si enim singulae tribus in bis quinas seniorum et iuniorum centurias divisae erant, si cives in bis quinis centuriis suffragia ferebant, si denique centuriarum suffragia renuntiabantur: quoniam modo — rectissime quaerat quispiam — potuit fieri, ut in renuntiatione sollemni ipsae tribus renuntiarentur? id quod varia veterum testimonia docent.

Ad hanc difficultatem expediendam consideretur necesse est, quanam ratione in comitiis cent. posterioris temporis suffragiorum renuntiatione facta sit.

Iam primum omnium satis constat distincta fuisse comitia magistratuum creandorum, legum ferendarum, iudiciorum populi exercendorum causa — ut hoc loco de bello indicendo taceam. Ad primi comitiorum generis rationem illustrandam transferunt viri docti praescripta legis Malacitanae de municipii Hispaniensis magistratuum renuntiatione, quippe quae maximam partem congruant cum testimoniis de Romanorum magistratuum renuntiatione ex scriptorum classicorum locis undique collectis.<sup>68</sup>)

Atque ex eiusdem legis cap. LVI. et LVII.<sup>69</sup>) apparet in magistratuum Rom. creatione a renuntiatione illa sollemni, qua, quis comitiis populi suffragiis factus creatus renuntiatus (liceat mihi Ciceronis<sup>70</sup>) uti verbis) fuisset, distinguendam esse alteram, qua, quem singulae tribus aut centuriae creavissent, renuntiabatur. In legum quoque ferendarum — contendit Langeus<sup>71</sup>) — comitiis et in iudiciis populi hae duae renuntiationes sunt distinguendae, quamquam in eis facilius ac celerius res poterat perfici, quoniam hoc solum agebatur, utrum maior vel tribuum vel centuriarum pars legem iussisset an antiquasset, reum condemnasset an absolvisset.

Desideratur quidem de centuriatis comitiis dicendi formula „pro centuria aliquem renuntiare“, sed id casu factum esse Langeo videtur, praesertim cum significata sit sine dubio „pro centuria renuntiatione“ verbis Ciceronis (in Verr. V, 15.): *Tu, cum esses praetor renuntiatus, non ipsa praeconis voce excitatus es, qui te toties seniorum iuniorumque centuriis illo honore affici pronuntiavit..?* Cum his comparanda sunt, Langei opinione, Ciceronis dicta (de l. a. o. II. c. 2. § 4.): *Itaque me non extrema tribus*

*suffragiorum, sed primi illi vestri concursus, neque singulae voces praeconum, sed una vox populi Rom. consulem declaravit*<sup>72</sup>.) Idemque concludi posse ex iis quoque locis, quibus alicui *paucae centuriae ad consulatum defuisse*<sup>73</sup>) aut alter alterum *pauculis centuriis superavisse*<sup>74</sup>) aut *candidati centurias non explesse*<sup>75</sup>) narrentur, Langei sententiam quominus comprobet, nihil obstat.

Unde apparere videtur, suffragiis centuriarum in singulis classibus latis, a praekonibus renuntiatum esse, quae centuriae aliquem candidatum creavissent, quae repudiavissent; id quod „pro centuria renuntiare“ dictum esse videtur.

In sollemni autem renuntiatione suffragia tribuum, non centuriarum renuntia esse Langeus<sup>76</sup>) statuere conatur pluribus innixus veterum scriptorum locis, quorum hos liceat hoc loco repetere:

Lucanus (Phars. l. V. v. 392. ss.) de C. Iulio Caesare dictatore memoriae tradidit:

..... *fingit sollemnia campi  
et non admissae diribet suffragia plebis.  
decantatque tribus et vana versat in urna.*

Haec verba Mommsenus<sup>77</sup>) ad praerogativae sortitionem falso rettulit, id quod non fugit Pluessium<sup>78</sup>), cuius exemplum secutus Langeus<sup>79</sup>) hunc Lucani locum potius ad sortitionem iure vocatarum spectare contendit. Cum enim verba *diribet suffragia plebis* non unius tribus, sed universi populi suffragia omnia esse lata fingi a poeta — Langei sententia — ostendant, sine dubio eam sortitionem, quae fieret renuntiationis sollemnis causa, Lucanus in mente habuisse videtur, quippe qui adderet: *decantatque tribus et vana versat in urna*. Sed talem renuntiationem a Luciano, qui non dubitaverit in comitiis cent. describendis *plebem* pro *populo* dicere, per errorem factam esse, ob hanc ipsam causam—Langei iudicio—statuendum est, quod neque apud Livium neque apud Ciceronem huius sortitionis vestigium reperitur. Utut est, certum hic Lucani locus testimonium de tribuum renuntiatione praebere mihi quidem videtur.

Apud Livium (l. XXIX. c. 37.) legimus: (M. Livius Salinator censor) *praeter Maeciam tribum, quae se neque condemnasset neque condemnatum aut consulem aut censorem fecisset, populum Romanum omnem, 34 tribus, aerarios reliquit, quod et innocentem se condemnasset et condemnatum consulem et censorem fecissent neque infitari possent aut iudicio semel aut comitiis bis ab se peccatum esse*. Quo loco patet easdem tribus, quae in concilio plebis vel in comitiis tributis in multae certatione Livium Sal. condemnassent, eum consulem et censorem postea creavisse tradi,

quod, quamquam centuriae ferebant suffragia, vere dici potuit, quoniam suffragiorum latio renuntiatione demum sollenni rata fiebat; id quod Langeus recte docet.<sup>80)</sup>

Alio loco Livius haec tradidit memoriae<sup>81)</sup>: *tribus omnes praeter Polliam antiquarunt legem* (sc. a tribuno pl. M. Flavio de Tusculanis puniendis rogatam). *Polliae sententia fuit puberes verberatos necari... memoriamque eius irae Tusculanis in poenae tam atrocis auctores remansisse ad patrum aetatem constat, neque quemquam ex Pollia tribu. candidatum Papiriam ferre solitum.* Quem quidem locum ad tribuum renuntiationem sollennem spectare vel inde elucet, quod, utrum Papiriam tribum aliquis candidatus tulisset necne, ex tribuum demum renuntiatione sollenni, non ex renuntiatione „pro centuria“ notum esse potuit.

Accedit Ciceronis locus (de l. a. o II. c. 2.) iam supra citatus, cuius verba *extrema tribus suffragiorum* recte mihi videtur Langeus interpretatus esse hunc in modum<sup>82)</sup>: „Genetivus ille additus est, quia tribus, quae renuntiabantur, alio sensu tribus dicebantur atque tribus, quae a civibus Romanis habitabantur. Apte autem „suffragiorum“ genetivus additus est, quod non vero sensu tribus erant, sed ipsius renuntiationis suffragiorum causa constitutae. Quae quo modo formatae sint, dubium esse non iam potest. Ipsa enim rerum necessitate eo adducimur, ut quinarum centuriarum suffragia ita comprehensa esse dicamus, ut, quod maior earum pars scivisset, id tribus suffragium renuntiaretur; suffragiorum igitur tribus in comitiis cent. ea re a tribubus comitiorum tributorum et conciliorum plebis diversae erant, quod non totarum, sed dimidiatarum tribuum suffragia continebant.“

Iam horum locorum, qui modo citati sunt, testimonio docemur in magistratibus creandis comitiorum cent. renuntiationem sollennem fieri solitam esse ita, ut tribus deinceps renuntiarentur. Itaque suffragiorum centuriarum latio renuntiatione demum sollenni tribuum rata facta esse poterat. Quod si cum Langeo statuerimus suffragia tulisse centurias, renuntiata autem esse dimidiatarum suffragia tribuum: nullas difficultates Pantagathi sententiae defensoribus afferent Livii dicta *duplicato earum* (h. e. 35 tribuum) *numero centuriis iuniorum seniorumque*, ex quibus eiusdem sententiae adversarii — neglecto classium in singulis tribubus discrimine — suffragia tulisse dimidiatas tribus inepte coniciunt. Revera enim duplicatum esse tribuum numerum — renuntiationis, qua suffragiorum latio rata fiebat, ratione habita — Langeo plane adsentior. Cuius quidem sententia de tribuum dimidiatarum suffragiis ex centuriarum suffragiorum maiore parte confectis confirmari videtur eis locis, ex quibus, quamquam ambitus *res tribuaria*<sup>83)</sup> et *crimen tribuarium*<sup>84)</sup> erat, non modo



tribus sed etiam centurias ambire petitores opus fuisse elucet. Nihil enim non intererat (ut Langei iudicium<sup>85</sup>) sequar), quot centurias in singulis tribubus dimidiatis aliquis candidatus confecisset, cum ternarum (h. e. primae, secundae, tertiae classis) centuriarum consensus maiorem suffragiorum singularum classium numerum sive tribus dimidiatae suffragium efficeret.

Ceterum multa de centuriis ambiendis testimonia ex veterum scriptorum libris colligi possunt, quorum in numero ponantur haec:

Cic. de pet. cons. 5. § 17.: *qui abs te aut tribum aut centuriam... aut habeant aut habere sperent*; ib. 5. § 18.: *denique sunt instituendi amici... ad conficiendas centurias homines excellenti gratia*; ib. 8. § 29.: *quam ob rem omnes centurias multis et variis amicitiiis cura ut confirmatas habeas*; ib. 8. § 32.: *itaque cum et hos ipsos propter suam ambitionem, qui apud tribulos suos plurimum gratia possunt, studiosos in centuriis habetis et ceteros, qui apud aliquam partem tribulium... valent, cupidos tui constitueris, in optima spe esse debetis*; ib. 14. § 56.: *video nulla esse comitia tam inquinata largitione, quibus non gratis aliquae centuriae renuntient suos magno opere necessarios*; Liv. l. XXXVI. c. 47.: *Fulvius consul unus creatur, cum ceteri centurias non explevissent*; Sueton. (Caes. 19.): *pecuniam per centurias pronuntiare...*

Quae cum ita sint, in sollenni renuntiatione quinque singularum tribuum centuriis singula suffragia tributa esse, omnino igitur 70 suffragia praeter equitum aliaque suffragia fuisse Langeus persuasus est, id quod omnis verisimilitudinis speciem prae se ferre videtur, quamquam nulla certa antiquitatis testimonia, quibus id comprobetur, praesto sunt; altera vero ex parte nihil est, quod huic rei statuendae adversetur.

Quam Langei sententiam secuti equitum *sex suffragia*, de quibus scriptores tantopere dissentire videntur, facile explicare possumus.

De hisce narrat Livius: Servium Tullium 12 centurias equitum ex primoribus civitatis scripsisse, 6 item alias centurias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratae essent, nominibus fecisse; Festus autem dicit<sup>86</sup>): *sex suffragia appellantur in equitum centuriis, quae sunt adiectae ei numero centuriarum, quas Priscus Tarquinius rex constituit.*

Inde nata est controversia, utrum *sex suffragia* vetustiores illae centuriae Ramnensium, Titiensium, Lucerensium priorum et posteriorum, quas Livius dicit, an duodecim illae a Servio Tullio ex primoribus civitatis conscriptae appellatae sint.



Ad hanc controversiam tollendam Langeus statuit<sup>87</sup>): neque illas neque has dictas esse *sex suffragia*, sed mutationis comitiorum cent. tempore 18 centuriis equitum sex suffragia in sollemni tribuum renuntiatione ita esse concessa, ut ternis centuriis singula suffragia darentur. In ternarum autem centuriarum corporibus, Langei iudicio, primae centuriae erant Ramnenses, Titienses, Lucerenses priores et Ramn., Tit., Luc. posteriores; qua ratione efficitur, ut haec quoque corpora quasi tribus dimidiatae fuerint, patriciarum videlicet tribuum vetustissimarum: Ramnensium, Titiensium, Lucerum<sup>88</sup>).

Equitum 18 centuriis non potuisse 18 suffragia esse, si peditum centuriae quinae suffragia singula haberent, minime inepte Langeus videtur contendere<sup>89</sup>); satis enim dignitatis equitatus (in quo etiam senatus suffragia—Cicerone teste (de rep. l. IV. c. 2.)—essent) tributum esse, si non quinque centuriis, quod praeterea numerorum ratione vetaretur, sed ternis centuriis, quae ratio antiquissimarum tribuum patriciarum bis terno numero commendaretur, singula tributa essent suffragia.

Quae modo prolata est coniectura de 6 equitum suffragiis cum valde sit probabilis, etiam id, quod de 2 centuriis fabrum aerariorum et tignariorum, de 2 centuriis cornicinum tubicinumque, de 1 centuria capite censorum, denique de centuria „ni quis scivit, sciscito“ Langeus statuit (l. m. l.), fide dignari videtur.

Atque 6 equitum suffragiis et 70 suffragiis peditum unum certe—huiusce opinione—suffragium propter centuriam „ni quis scivit“ addendum est. Quo suffragio comprehendi centuriae capite censorum suffragium non poterat, nisi etiam 4 centuriarum opificum suffragia addebantur; sola enim cum centuria capite censorum coniungi illa non potuit, quia maior pars duarum nulla est. Sex autem centuriis unum non duo suffragia data esse ideo verisimile Langeo videtur, quod probabilius est iuris suffragii condicionem peiorem capite census et opificibus concessam esse quam civibus, qui ex censu ius suffragii haberent.

Renuntiabantur igitur in comitiis cent. ordinis recentioris (Langei calculo subducto) 76 dimidiatarum tribuum suffragia, eaque sine dubio ita, ut primum trium patriciarum quondam tribuum h. e. equitum 6 suffragia, deinde 35 tribuum (inde a Servio Tullio usque ad a. 241. a. Chr. n. constitutarum)—secundum tribuum certum ordinem—70 suffragia renuntiarentur; postremo autem loco renuntiabatur suffragium centuriae „ni quis scivit“ vel solius vel una cum suffragiis opificum et capite censorum coniunctum.

Itaque legitimum suffragiorum numerum confecerat is qui 77 suffragiorum 39 expleverat. Suffragia 39 autem in consensu equitum et 21 vetustissimarum tribuum rusticarum erant effecta, si unum ceterarum suffragium accesserat. Quare si quis candidatus equitum centurias et tribus illas rusticas sibi conciliaverat, a ceteris candidatis non solum non deici, sed etiam in optima spe esse poterat fore, ut renuntiaretur primumque locum in renuntiatione adipisceretur<sup>90</sup>). Nam 4 tribuum urbanarum candidatos eo renuntiationis loco, quo candidati plebis rusticae iam 38 suffragia haberent, modo 8 confecisse rectissime Langeus docet<sup>91</sup>).

### Cap. III.

#### **Fueritne ratio posteriorum comitorum cent. popularis, an abierit in commodum optimatum.**

Comitorum centuriatorum mutatam rationem fuisse popularem auctor est Dionysius Halic., qui haec memoriae (l. s. l.) prodidit: *μεταβέβληκεν* (sc. Servii T. centuriarum ordo) *εἰς τὸ δημοτικώτερον ἀνάγκαις τισὶ βιασθεῖς ἰσχυραῖς οὐ τῶν λόγων καταλυθέντων ἀλλὰ τῆς κλήσεως αὐτῶν οὐκέτι τὴν ἀρχαίαν ἀκριβείαν φιλαττούσης.*

Nihilo secius non omnes viri docti hac in re cum Dionysio faciunt; immo vero existunt, qui contra hoc Dionysii testimonium posteriorem comitorum cent. ordinem optimatum partibus opportunum fuisse persuasum sibi habeant.

Iam primum omnium dilucidissime apparet aliam rationem commutata comitia cent. ex Pantagathi restitutione, ut ita dicam, aliam ex Pantagathi adversariorum fictione prae se ferre. Neglecto enim omni classium et census discrimine, omnes centurias eadem iura elucet habuisse, ita ut unusquisque civis Romanus sive dives sive pauper, sive patricius sive plebeius genere, sive senatorius sive eques sive plebeius ordine, in sua quisque tribu, in qua unica esset aetatis distinctio iuniorum et seniorum, suffragium ferret neque ideo plus quam alius valere posset. Itaque classibus sublatis plebeios idem ac patricios, pauperes idem ac divites valuisse quis est, quin intelligat?

Attamen nonnulli homines docti, quamquam classes in recentioribus comitiis cent. remansisse negant, novum comitorum ordinem aequae ac Servianum optimatum partibus inservivisse minimeque fuisse popularem contendunt; quorum in numero no-

minandus est imprimis Niebuhrius<sup>92</sup>), quocum Puchta<sup>93</sup>), Bergk<sup>94</sup>) — ut alios hic praeteream silentio — plane faciunt.

Sed — ut haec sententia de nova comitorum cent. ratione utpote eas ob causas, quae iam supra sunt prolatae, minime probabilis prorsus mittatur — ne ii quidem, qui Pantagathi iudicium de posteriore comitorum cent. forma sequuntur, in re, de qua nunc agitur, statuenda inter se conveniunt. Atque dum comitia cent. mutata esse populariter, id quod Dionysii vocabula „μεταβέβληκεν εἰς τὸ δημοτικώτερον“ significant, plerisque e Pantagathi sententia pendentibus viris doctis, qui hanc rem tangunt, videntur<sup>95</sup>), Herzogius ea in optimatum commodum multis ex partibus abiisse demonstrare studet<sup>96</sup>).

Quae res cum ita se habeat, considerandum est, quibus argumentis utraque opinio comprobetur.

Secundum Dionysii iudicium comitia cent. ita sunt commutata, ut centuriis non sublatis (*οὐ τῶν λόγων καταλυθέντων*) earum prior suffragia ferendi rigor ac vis fracta minutaque sint (*τῆς κλίσεως αὐτῶν οὐκέτι τὴν ἀρχαίαν ἀκριβείαν φυλακτοῦσης*). Quam quidem vim omnem quondam penes primores civitatis fuisse et veteres scriptores testantur<sup>97</sup>) et res ipsa docet. Cum enim equitum 18 centuriae vocatae essent primae, deinde I. classis 87 centuriae, plerumque factum est, ut omnes ceterae centuriae non suffragarentur, quia maior populi vis i. e. maior pars numeri (193) centuriarum, si 1 centuria II. classis accesserat. iam confecta erat. Itaque in Serviano illo comitorum ordine optimates plus pollebant et quo quis erat divitior, eo plus valebat, sive „vis omnis penes primores civitatis erat“

Quo ordine permutato optimatum potestas ac vis minuta, populi ius autem amplificatum esse videtur. Namque centuriae praerogativae ex omnibus centuriis I. classis aut omnium (id quod minus esse probabile supra monui) classium sortitione equites permagnam vim, quam antea exercuerant, amiserunt; ius pauperiorum civium eodem est auctum, ut maiorem numeri suffragiorum partem non pauciores quam 3 classes conficere possent. Quo factum est, ut I. classi, quae antea una cum equitibus plurimum valuerat, quippe cum constitisset ex plurimis centuriis, quae primo vocarentur, pristina vis dempta sit; nam in posterioris aetatis comitorum ordine et 10 suffragiis inferior facta est et vix tertiam partem omnium suffragiorum idem stuentium, non ut antea maiorem eorum numerum conficiebat. Accedit, quod in commutatis comitiis cent. potentia penes agrorum possessores, qui 31 tribubus rusticis continebantur<sup>98</sup>), erat, optimates autem aequae ac plebei, qui latifundiis carebant. prae aliis impotentes esse videbantur. Quare liberi rustici, quorum

divitiae in agrorum possessionibus constabant, praevalebant nunc pariter atque antea I. classis cives. Inde elucet nimiam populi seu I. classis seu patriciorum potentiam, nova centuriarum descriptione facta, fractam esse et plebem quoque ad magistratus suis demandandos valere potuisse.

Quae omnia qui cogitatione menteque comprehendit, non est quod miretur, si Dionysio Halicarn. Servianus centuriarum ordo μεταβεβλημένοι εἰς τὸ δημοτικώτερον visus est.

Attamen haud spernendum esse videtur id, quod Herzogius monet (l. modo l.): fuisse ex re eorum, qui reipublicae praessent, numerum 35 tribuum absolvi (a. 241. a Chr. n.) neque novas tribus constitui, quippe cum eas facilius moderari possent. Intra 35 autem tribus 17 vetustiores rusticas cum optimatibus stare ac sentire et contra homines novos pugnare solitas esse facile est — Herzogii sententia — intellectu. Itaque earum tribuum centuriae una cum equitum centuriis maiorem suffragiorum numerum conficiebant, excepto si 4 urbanae tribus cum 14 rusticis posterioribus causam suam communicarent; id quod rarissime contingere potuisse cum Herzogio faciam necesse est, quippe cum urbanas tribus potius arbitrio eorum, qui reipublicae praeerant, quam civium novorum voluntate ductas ac rectas esse consentaneum sit.

Quantopere igitur posterioris temporis comitiorum cent. ratio optimatibus commoda fuerit, in propatulo est. Potentia enim multitudinis urbanae novorumque civium nulla fere erat, cum tribus rusticae vetustiores una cum equitum centuriis coniunctae, si unum accesserat tribus dimidiatae suffragium, vim populi (liceat mihi Ciceronis verbis<sup>99</sup>) uti) conficerent universam. In singulis autem tribubus rusticis I. et II. et III. classis cives, si inter se consentiebant, tribus dimidiatae suffragium efficiebant; unde apparet ne in hoc quidem comitiorum ordine pauperum civium (quorum numerus maior erat quam civium 3 illarum classium) vim atque auctoritatem magnam fuisse.

De qua vero comitiorum cent. ratione vix est dubitationi locus relictus. Namque nemo non novit optimates comitia cent. ob hanc causam praetulisse tributis, quod descriptis ordinibus, classibus, aetatibus populus suffragia ferret<sup>100</sup>). Plebem autem rusticam belli Punici I. fine (ad illud enim tempus equidem comitiorum cent. mutationem refero, id quod mox demonstrabitur) eam comitiorum cent. formam, quae specie popularis erat, quoniam singulis classibus idem centuriarum numerus tribuebatur omnesque centuriae ad suffragium ferendum vocabantur<sup>101</sup>), cupide arripuisse quis est, quin intellegat? Populares vero Gracchani et Ciceroniani temporis aliter de suffragiorum ratione



(quae in commodum optimatum abibat) iudicavisse inde elucet, quod C. Gracchus promulgavit rogationem: „ut ex confusis 5 classibus sorte centuriae vocarentur“; qua quidem rogatione classium ordinem tollere voluisse Gracchus videtur, ne in optimatum potestate comitia cent. essent.<sup>102)</sup>

Illam sane suffragia ferendi rationem, quae optimatum partibus multos annos fuerat opportuna, Ciceronis temporibus in commodum hominum factiosorum nimirum conversam esse minime est ignotum.<sup>103)</sup> Nam Romae quoque, ut plerumque fieri assolet, studio, quo plebs initio ducebatur, ut iura sua aequaret, eo res postea adductae sunt, ut tandem maior vis ac potentia penes plebem seu penes multitudinem esset.

Sed non est huius loci disceptare atque inquirere, utrum mutata comitorum cent. ratio, quae adhuc pluribus verbis est exposita atque explicata, plus mali an boni adhibuerit, utrum plus ad interitum moliendum an ad magnitudinem reipublicae Romanae augendam valuerit.

## B.

### Quo tempore videantur comitia cent. mutata esse.

In veterum scriptorum testimoniis de comitorum cent. mutata ratione tempus mutationis perfectae requiritur; Livius enim hoc solum tradidit memoriae: „ordinem, qui nunc est post expletas 35 tribus..., ad institutam ab Servio T. summam non convenire“; Dionysius Halicarn. autem de eodem Serviano centuriarum ordine scripsit: „οὗτος ὁ κόσμος τοῦ πολιτεύματος ἐπὶ πολλὰς διέμεινε γενεὰς φυλαττόμενος ἐπὶ Ῥωμαίων· ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς κελίηται χρόνοις...“

Itaque Dionysius<sup>104)</sup> tam summatim hanc rem dubiam attigit, ut inde nihil fere aliud cognoscamus, nisi id, quod dubitari nequeat: ordinem a Servio Tull. ex censu institutum multas post aetates esse commutatum; quo autem anno haec permutatio facta sit, non apparet; quod ipsum versatur in quaestione. Nec quicquam certius ex illo Liviano loco, qui modo commemoratus est, colligi potest.

Cum igitur apud nullum rerum Romanarum scriptorem locus reperiri possit, quo sit declaratum, quando comitorum cent. mutata ratio intercesserit, variis coniecturis variisque argumentationibus varii viri docti tempus, quo comitia cent. commutata



esse videntur, definire ac demonstrare conati sunt. Nimirum alii aliud de hac re proferunt certumque aut verisimile esse statuunt; quare perdifficile est unam quandam opinionem, ceteris neglectis, sequi. Quibus rebus commotus equidem omnes hominum doctorum sententias, quae modo aliquam veritatis aut verisimilitudinis speciem prae sese ferre videntur, hic repetere ac perpendere in animo habeo; unde cognosci possit, quaenam ad tempora comitorum cent. permutatio referenda esse videatur.

Praeter multas alias res maxime Dionysii verba „ἐπὶ πολλὰς διέμεινε γενεάς“ (sc. Servianus centuriarum ordo) obstant, quominus Wachsmuthio<sup>105</sup>), Unterholznero<sup>106</sup>), Franckeo<sup>107</sup>), qui primis reipublicae Rom. temporibus, vel Huschkeo<sup>108</sup>), qui post pugnam ad lacum Regillum cum Latinis (a. 496. a. Chr. n.) commissam Servianum centuriarum ordinem transformatum esse persuasum sibi habent, assentiar

Quam ob causam esse improbandam puto opinionem Walteri<sup>109</sup>) et Peteri<sup>110</sup>), qui comitorum cent. mutationem legibus XII. tabularum, aequae ac Huellmani<sup>111</sup>) sententiam et Tophoffii<sup>112</sup>), qui hanc paulo post decemvirum imperium sublatum utique ante illam Canulei trib. pl. rogationem promulgatam pro certo factam esse statuere conantur.

Iam primum omnium mente tenendum est id, quod Langeus<sup>113</sup>) monuit: descriptionem centuriarum, quam modo cognovimus, non nisi a censoribus plebeis perfici potuisse; cum autem plebeios demum a. 351. a. Chr. n. ad censuram aditum adeptos esse constet, ante hunc annum mutationem centuriarum Servianarum non esse factam videri.

Qui viri docti ad tam vetera tempora comitorum cent. mutationem referunt, Livii nituntur locis, quorum alter ad a. 396. a. Chr. n. alter ad a. 383. spectat.

Atque agit Livius (l. VI. c. 21. de a. 383. a. Chr. n.) haec: *tum ut bella iuberent, latum ad populum est, et nequiquam dissuasentibus tribunis plebis omnes tribus bellum iusserunt.* Cum admodum constet populum Rom. comitiis centuriatis non tributis de bello alicui genti indicendo suffragia tulisse, minime est dubium, quin hoc loco non tributa sed centuriata comitia intelligenda sint. Itaque verba „omnes tribus bellum iusserunt“ indicare videntur hunc Liv. locum ad comitia cent. mutati ordinis pertinere. At Livius ipse alio loco (l. X. c. 22.) centurias praerogativas h. e. praerogativas 18 equitum centurias commemorat; qui quidem locus cum ad a. 296. a. Chr. n. spectet, luce clarius est hunc Liv. locum de non mutatis comitiis cent. agere; nam in comitiis cent. posterioris ordinis 1 centuriam praerogativam locum praerogatarum 18 centuriarum equitum obtinuisse

haud est ignotum. Unde sequitur comitia cent. ante a. 296. a. Chr. n non esse commutata.

Ad Livii locum autem de tribubus bellum indicentibus quod attinet, nonnulli viri docti eo confugiunt, ut Livium posterioris aetatis morem ad tempora mutatione comitorum cent. antiquiora transtulisse aut forte eum per errorem de comitiis tributis illo loco cogitavisse statuunt<sup>114</sup>). Neque enim reapse usitatum est dicendi genus „bellum omnes tribus iusserunt“ de comitiis cent.: immo plerumque „populus bellum iussisse“ dicitur.<sup>115</sup>)

Altero Livii loco (l. V. c. 18.), qui ad annum 396. a. Chr. n. pertinet, legimus quae sequuntur: „*Haud invitis patribus P. Licinium Calvum praerogativa tribunum militum non petentem creant... omnesque deinceps ex collegio eiusdem anni refici apparebat... Qui priusquam renuntiarentur, iure vocatis tribubus permisso interregis P. Licinius Calvus ita verba fecit...*“ Inde, quod creavit praerogativa (cui nullus certe erat in Serviano centuriarum ordine locus) et quod ei, qui suffragio praerogativae erant creati, iure vocatis tribubus renuntiati sunt, viri docti, qui ad V. aut IV. a. Chr. n. seculum comitorum cent. mutationem referunt, novum centuriarum ordinem hoc Liviano loco deprehendi coniciunt. Quod qui contendunt, offendant necesse est in numero plurali verbi „creant“ cum singulari numero substantivi „praerogativa“ coniuncto; quare iam Sigonius<sup>116</sup>) pro „praerogativa“ coniecit legendum esse „praerogativae“. Qua quidem lectio cum omnino sit necessaria, elucet hoc Liviano loco praerogativas equitum centurias prioris comitorum cent. ordinis seu ipsum Servianum ordinem commemoratum esse. Hoc statuentibus nullam offensionis ansam praebere debent verba „iure vocatis tribubus“, quippe quae corrupta esse viris doctis videantur. Locutio enim „iure vocari tribus“ et omnino „vocari tribus“ non nisi comitiis tributis inservivisse recte Mommseno<sup>117</sup>) videtur, dum de comitiis cent. dicitur „centurias in suffragium mittere“<sup>118</sup>): attamen Livii locus, de quo agitur, minime ad comitia tributa spectare potest, quia in com. tributis tribus, quae ad suffragium ferendum prima vocabatur, non „praerogativa“ sed „principium“ dicebatur.<sup>119</sup>) Ceterum hunc Livii locum ad comitia cent. spectare etiam id est optimo documento, quod tribunos militum consulari potestate comitiis cent. esse creatos multi veterum scriptorum loci testantur.<sup>120</sup>) Quibus rebus ductus Mommsenus ad coniecturam sese confugit et „iis revocatis“, voce „tribubus“ ommissa, legendum esse putat; ad quam coniecturam confirmandam similitudine utitur huius Liviani loci (l. XXVI. c. 22.): *praerogativa Veturia iuniorum declaravit (consulem) T. Manlium...*

*Manlius... ad tribunal consulis venit petitque, ut pauca sua verba audiret centuriamque, quae tulisset suffragium, revocari iuberet.*

Quae cum ita se habeant, Livii loci, qui allati sunt, nihil ad commutatam comitiorum cent. formam comprobendam valere videntur.

Loco Liviano, qui a. 296. a. Chr. n. Servianum centuriarum ordinem intactum constituisse testatur, impediatur, quominus accedam in sententiam Ritteri<sup>121</sup>), qui putavit comitia cent. per Appium Claudium Caecum censorem a. 312. a. Chr. n. esse mutata, aut in sententiam Niebuhrii<sup>122</sup>), Puchtae<sup>123</sup>), Nitzschii<sup>124</sup>), qui Livianis locis supra disceptatis nixi novum centuriarum ordinem ante I. bellum Punicum exstitisse eumque per Q. Fabium Maximum a. 304. a. Chr. n. factum esse persuasum sibi habent. Ad suam opinionem stabiliendam ac fulciendam Ritt. hunc Livii locum (l. IX. c. 46.) firmissimo argumento sibi esse censuit: *Ceterum Flavium dixerat aedilem forensis factio Appii Claudii censura vires nacta. qui senatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat et postquam eam lectionem nemo ratam habuit nec in curia adeptus erat, quas petierat opes, humilibus per omnes tribus divisus forum et campum corrupit.* Atque putat Ritt.: si App. Claudius humilibus per omnes tribus divisus non solum forum, sed etiam campum h. e. comitia non solum tributa, sed etiam centuriata corruerit, iam antea per ipsum comitia cent. sint transformata necesse esse. Sed ignotum est, unde conici possit App. Claudium ipsum, antequam humiles per omnes tribus divideret, centuriarum ordinem transformavisse; id quod Ritt. contendit. Ceterum recte mihi Mommsenus<sup>125</sup>) videtur monuisse hunc, de quo agitur, Liv. locum nihil aliud probare nisi tribubus aliquam cum centuriis necessitudinem intercessisse neque igitur hoc loco commutatam comitiorum cent. ordinem poni. Accedit, quod Langeus<sup>126</sup>) docet App. Claudium libertinis aditum in classes et centurias aperuisse nec veram centuriarum descriptionem permutavisse.

Ad Q. Fabii censuram vero minime mutatam comitiorum cent. rationem convenire non inepte Langeus contendit, quippe cui Q. Fabius res ab App. Claudio mutatas ad pristinum videatur statum restituisse, ita ut post eiusdem censuram et fortasse per ipsam eiusdem censuram consularia comitia in patriciorum manus pervenirent.<sup>127</sup>)

Ne longius labatur mea disputatio — facio cum Langeo: contra omnes, quas modo cognovimus, temporis mutatorum comitiorum cent. constituendi rationes id testari, quod neque apud Livium neque apud Dionysium mutata comitiorum cent. forma fusius atque accuratius enarrata occurrit; quod quidem silentium

eo maioris esse momenti videtur, quod uterque rerum scriptor hanc noverat et occasione oblata obiter commemoravit.

Quoniam igitur nullus veterum scriptorum locus reperiri potest, quo memoriae proditum sit, quando comitia cent. sint permutata, una restat via, ut inquiratur, a quo tempore primo certa vestigia novae comitiorum cent. suffragia ferendi rationis comprehendantur. Iam videamus.

Dum in prima Livianorum librorum decade vestigia Serviani centuriarum ordinis exstant<sup>128</sup>), reperiuntur in tertia decade (quam rebus a. 218. a. Chr. n. enarrandis incipere constat) plures loci, qui mutatae comitiorum cent. rationis certissimum praebent testimonium. Recordemur modo locos (qui supra sunt prolati), quibus centuria praerogativa nominatur: *eo die quum sors praerogativae Aniensi iuniorum exisset* (l. XXIV. c. 7.); *iterum praerogativa suffragium init* (ib. c. 9.); *praerogativa Veturia iuniorum declaravit* (consulem) *Titum Manlium* (l. XXVI. c. 22.); *Galeria iuniorum, quae sorte praerogativa erat, Q. Fulvium et Q. Fabium consules dixerat* (l. XXX. c. 6.).

His omnibus locis Livius de praerogativa ut de re vulgo notissima sine ulla explicatione, tamquam iam antea sit enarrata, agit. Quapropter Livius in secunda librorum suorum decade mutatam comitiorum cent. rationem fusius atque accuratius describerit necesse esse videtur. quippe cum in tertia eiusdem decade vestigia novi comitiorum cent. ordinis uti rei minime ignotae occurrere modo viderimus.

Quae cum ita sint, verisimillimum est comitia cent. temporibus secundae (quam temporis iniuria intercidissee mirum quantum dolendum est) Livianae decadis h. e. inter a. 292. et 218. a. Chr. n. mutata esse; id quod plerimi viri docti statuere non dedignantur<sup>129</sup>)

Nunc videndum est, nonne accuratius huius mutationis tempus definiri ac describi possit.

Atque si quis consideraverit demum lege Hortensia a. 287. a. Chr. n. promulgata (de qua Livius in XI. l. egerat) concilia plebis. quod ad legum ferendarum ius attinet, plane in aequo comitiis centuriatis posita esse seu pristinam comitiorum cent. formam nullius iam pretii nobilebus fuisse: non multo a vero aberravisse libero animo fortasse pronuntiabit Langeum, qui post eum annum demum censores mutationem comitiorum cent. suscepisse coniciat.<sup>130</sup>)

Quid ita? Si apud Livium legitur: *hunc ordinem, qui nunc est post expletas 35 tribus...*, *ad institutam ab Servio Tull. summam non convenire*, nonne haec dicta ad tempus novae centuriarum rationis inductae definiendum auxilio esse possunt? Obiciunt



quidem nonnulli viri docti<sup>131)</sup> ex hoc loco nihil de tempore, de quo agitur, statui posse, quippe cum hic non dixerit Livius veterem centuriarum ordinem permansisse, quoad 35 tribus expletas essent, sed modo affirmaverit post expletas 35 tribus duplicatum earum (sc. tribuum) numerum centuriis iuniorum seniorumque summam centuriarum ( $35 \times 2 = 70$ ) effecisse; at mihi quidem urgenda esse videntur eiusdem verba secum coniuncta „hunc ordinem, qui nunc est post expletas 35 tribus.“ Quod si verum est, vix potest dubitari, quin in comitiorum cent. mutationis tempore declarando hic Livianus locus minime silentio sit praetermittendus, immo vero ad idem definiendum plurimum valeat. Quid igitur lucri ex hoc Liviano loco facit nostra disquisitio?

Numerum 35 tribuum a. 241. a. Chr. n. expletum esse auctor est Livius,<sup>132)</sup> qui hocce anno tribum Velinam et Quirinam constitutam esse memoriae tradidit. Quod si consideramus ab illo inde anno usque ad finem reipublicae Rom., quamquam numerus civium augebatur in dies, summam 35 tribuum intactam permansisse, nulla re impedimur, quominus coniciamus novum comitiorum cent. ordinem arctissime cum 35 tribuum numero expleto cohaesisse eodemque, quo hic numerus expletus est, anno aut paululum post esse inductum. Hoc modo non difficile est intellectu, quam ob causam tribuum numerus post a. 241. a. Chr. n. non sit auctus; scilicet tribuum numero mutato omnis comitiorum cent. ratio transformaretur necesse fuisset.<sup>133)</sup>

Etiam inde, quod post a. 241. a. Chr. n. populares perfecerunt, ut C. Flaminius et C. Terentius Varro plebei consules dicti sint,<sup>134)</sup> nescio an possit concludi (id quod Langeus aliique viri docti contendunt) eo ipso tempore comitia cent. induta esse nova forma, quam plebeis opportuniorem pristina fuisse iam supra didicimus.

Ea, quae adhuc disputata sunt, qui mente tenebit, facile cognoscet verisimillimum esse tempore inter a. 241. et 218. a. Chr. n. novum comitiorum cent. ordinem inductum esse; quae quidem communis plurimorum hominum doctorum opinio est nec recentissimis temporibus quisquam (quod equidem sciam) invenitur, a quo impugnetur.

Quod autem ad censores, a quibus haec mutatio perfici potuit, attinet, duas in partes discedunt virorum doctorum sententiae. Cum enim inter septem censuras, quae in a. 241.—220. a. Chr. n. cadunt, censura C. Flamini et L. Aemilii Papi (a. 220.) violentissima fuisset, propterea Gerlachius<sup>135)</sup> ad hos censores comitiorum cent. mutationem refert; idem etiam Goettlingio<sup>136)</sup> probabile videtur esse. Sed in hoc anno declarando offendimus,

quod ab huius anni censoribus non nisi libertinos in tribus urbanas reiectos esse Livius (Epit. XX.) docet, et quod Livius eo loco, quo res gestas, quibus C. Flaminius apud plebem gratio- sus factus erat, enarravit (l. XXI. c. 63.), nullam mutatorum comitorum cent. mentionem adiecit.

Quae cum ita se habeant, existunt, qui anni 241. patro- cinium — ut ita dicam — suscipiant. Atque Mommsenus<sup>137)</sup> urget cum Livii testimonium de 35 tribuum numero a. 241. a. Chr. n. expleto, tum id, quod Boeckhius<sup>138)</sup> demonstravit: pre- tium nummorum a. 244.—241. immutatum esse, eaque cum co- mitiorum cent. mutatione arcte cohaesisse, sive hanc ipsam mu- tationem a. 241. a. Chr. n. (quo C. Aurelius Cotta et M. Fabius Buteo censores erant) perfectam esse contendit. Qua re perfecta contentiones plebeiorum et patriciorum plane desiisse Langeo videntur; id quod apud Sallustium<sup>139)</sup> exstare videtur: *Discor- diarum atque certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Pu- nicum.*

Ut ut est, unum pro certo haberi posse mihi quidem vide- tur Servianum comitorum cent. ordinem a. 241. a. Chr. n. aut paulo post hunc annum, profecto ante a. 218. a. Chr. n. com- mutatum esse; id quod Livius dictis „*hunc ordinem, qui nunc est post expletas 35 tribus...*, ad institutam ab Servio Tull. summam non convenire“ circuitione quadam usus videtur indicavisse.

Nec vero Dionysii Hal. testimonium, quod iam prolatum est, tali Livianum locum interpretandi modo ac rationi repugna- re videtur. Qui enim Servianum centuriarum ordinem a. 241. a. Chr. n. aut paulo post hunc annum immutatum esse statuit, fa- cile intellegit eundem aliquot aetates inviolatum permansisse; id quod Dionysiana indicant verba: „*ἐπὶ πολλὰς διέμεινε γενεάς.*“ Quae autem succedunt Dionysii dicta: „*ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς κελίηται χρόνοις*“ nihil contra annum 241. testari videntur nec possunt esse impedimento, quominus eodem tempore mutationem esse perfectam putemus, quippe quae Dionysii circumscriptio tempo- ris nimium quantum infinita sit ac generalis. Ceterum recte Goettlingius<sup>140)</sup> docet dicta „*ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς κελίηται χρό- νοις*“ non significare „novum comitorum cent. ordinem Dionysii demum temporibus esse constitutum“ (id quod inter alios Nie- buhrius<sup>141)</sup> tradit), sed modo indicare „mutatum comitorum cent. ordinem Dionysii tempore constituisse,“ quod verba „*κελί- ηται καὶ μεταβέβληται*“ postulare videantur; si enim Dionysius dicere voluisset: „*meis temporibus res est mutata,*“ certo scri- pturum eum fuisse „*ἐκινήθη καὶ μετεβλήθη*“ Goettl. non inepte monet.

Adde quod Langeus<sup>142)</sup> conicit Dionysiana dicta «ἀνάγκαις πρὸ βίαιθεις ἰσχυραῖς» ad Marii spectare videri tempus, quo Servianus centuriarum ordo, quem Sulla — Appiano teste<sup>143)</sup> — restituerat, denuo sublatus est.

Quod si id comitiorum cent. mutationis tempus statuitur, prorsus concidat necesse est id, quod nonnulli viri docti<sup>144)</sup> his Livii (l. XL. c. 51.) dictis „*mutarunt suffragia regionatimque generibus hominum causisque et quaestibus tribus descripserunt*» innixi contendunt: hanc mutationem in annum 179. a. Chr. n. (quo M. Aemilius Lepidus et M. Fulvius Nobilior censores erant) cadere; nam hunc Liv. locum ad alias res ab illis censoribus perfectas pertinere mox ostendetur.

Itaque nullis iam rebus retineor, quominus, omnibus virorum doctorum argumentationibus — quas quidem ego cognoverim — perpensis, eorum, qui mutatam comitiorum centuriarum rationem ad a. 241.—218. a. Chr. n. referunt, sententiam utpote probabilissimam neque ullis antiquitatis testimoniis contrariam ac repugnantem anteponeere aliis dubitem.



## Appendix.

Ad calcem dissertationis meae non ex re fore mihi videtur investigare ac perscrutari, quosnam casus mutatus comitiorum cent. ordo, de quo prima parte huiusce libelli agitur, annis posterioribus perpessus esse quamque formam postea prae se tulisse videatur. Quod autem cum non sit huius loci, sequitur, ut non nisi paucissimis, quantum fieri potest, verbis haec res comoneatur nec fusius explanetur.

Iam supra didicimus exstare in rerum Rom. scriptorum libris locos, e quibus post II. bellum Punicum finitum, ante quod Serviani centuriarum ordinis mutatio sine dubio cadit, comitia cent. pluries transformata esse videri eluceat. Qui quidem loci cum plerumque obscuri sint, a variis viris doctis variam in partem accipiuntur; unde fit, ut etiam in posteriore mutatorum comitiorum cent. forma ac ratione enucleanda diversae ac secum pugnantes opiniones proferantur.

Atque dum Herzogius<sup>145</sup>) contendit mutatorum comitiorum cent. suffragiorum ordinem iam intactum permansisse, non desunt, qui novi comitiorum cent. ordinis suffragia ferendi rationem denuo transformatam esse demonstrare studeant.<sup>146</sup>) Qui quidem innotuit Liviano loco (l. XL. c. 51.), quo de M. Aemilio Lepido et M. Fulvio Nobiliore consoribus a. 179. a. Chr. n. haec leguntur: *mutarunt suffragia regionalimque generibus hominum causisque et quaestibus tribus descripserunt*. Hoc loco non de plane commutatis comitiis cent., sed tantum de suffragiis libertinorum ordinandis agi Langeus<sup>147</sup>) putat conicitque censores a. 179. a. Chr. n. tribus rusticas et urbanas (id quod Livianum „regionalim“ declarat) ita disiunxisse, ut illae ingenuis, hae libertinis (id quod Liv. „generibus“ ostendit) adsignatae sint, tum genera quaedam libertinorum, scilicet qui agros colerent (id quod „quaestus“ est) et qui quinquenni maiorem filium<sup>148</sup>) haberent (id quod „causa“ significat), in tribus rusticas recepisse.



Quo factum (Langei sententia) est, ut libertini quaestibus et causis praecipui in centuriis tribuum rusticarum suffragia ferrent. Etiam fieri potuisse Langeo videtur, ut centuriarum suffragia saltem 4 tribuum urbanarum non secundum classes et aetates, sed secundum genus, dignitatem quaestusque distribuerentur.<sup>149)</sup>

Quem comitorum cent. ordinem mutaverunt — Livio (l. XLV. c. 19.) teste — C. Claudius Pulcher et T. Sempr. Gracchus censores a. 169. a. Chr. n. talem in modum, ut libertinos, qui in classes recepti essent, cum filiis in iisdem remanere paterentur, praeterea in easdem tibertinos, qui censum I. et II. classis haberent, reciperent, eos autem, qui minus locupletes essent, in tribu Esquilina sorte electa censeri vellent. Nec tamen haec comitorum cent. ratio diu conservata esse videtur.<sup>150)</sup>

Quod suffragia ferendi modum ac rationem attinet, maioris momenti mutationem a. 139. a. Chr. n. esse perfectam antiquitatis exstant testimonia. Cum enim ante hunc annum voce suffragia pronuntiata esse cum Ciceronis multi loci<sup>151)</sup>, tum formulae „rogare populum“, „uti rogas“, „antiquo“, „centuria dicit consulem“ testentur, anno, qui modo est nominatus, ut libere populus suffragari posset neve auctoritate optimatum in suffragiis ferendis obstringeretur ac prohiberetur<sup>152)</sup>, legibus tabellariis, quae dicuntur, secreta atque occulta suffragiorum latio instituta est<sup>153)</sup>, scilicet magistratum creandorum causa lege Gabinia a. 139. a. Chr. n.<sup>154)</sup>, populi iudicia (perduellionis causis exceptis) exercendi gratia lege Cassia a. 137. a. Chr. n.<sup>155)</sup>, leges ferendi causa lege Papiria a. 131. a. Chr. n.<sup>156)</sup>, denique in perduellionis causis lege Caelia a. 107. a. Chr. n.<sup>157)</sup> Scilicet in comitiis legum ferendarum causa binae tesserae, quarum una littera U. R. (Uti Rogas), altera littera A. (Antiquo) inscripta erat<sup>158)</sup>, pontes inscendentibus dabantur, qui unam in cistas conicerent; in comitiis iudicialibus ternas tesseras litteris A. (Absolvo), C. (Condemno), N. L. (Non liquet) inscriptas suffragantibus datas esse viri docti suspicantur<sup>159)</sup>; denique in magistratibus creandis cives singulas accipiebant tesseras<sup>160)</sup> tot nomini- bus inscriptas, quot magistratus erant creandi.

Ceterum hac suffragia ferendi ratione constituta novus comitorum cent. ordo illis annis (139., 137., 131., 107. a. Chr. n.) intactus esse videtur.

Deinceps notandum est C. S. Gracchum a. 122. a. Chr. n. promulgare studuisse legem, „ut ex confusis 5 classibus sorte centuriae vocarentur“; id quod minime esse factum Herzogius contendit.<sup>161)</sup>

Quae cum ita sint, novum comitiorum cent. ordinem usque ad a. 88. a. Chr. n. inviolatum permansisse apparet. Quo quidem anno L. Cornelius Sulla, Appiano (l. I. c. 59.) teste, mutatis comitiis cent. sublatis Servianum centuriarum ordinem restituit. Attamen lex, qua id factum erat, tempore Marianorum amota neque a Sulla, cum factus esset dictator, repetita est.

Mutata comitia cent. a. 86.—82. a. Chr. n. esse restituta Dionysiana dicta „ἀνάγκαις τισὶ βίαισθεῖς ἰσχυραῖς“ Langeo significare videntur, ut iam supra monui.

Labentibus annis comitia cent. pristina dignitate, vi, iuribus exuta esse quis est, qui nesciat? Atque C. Iul. Caesarem comitiis cent. ius bellum ac pacem decernendi dempsisse sibi que arrogavisse Dio Cassius (l. XLII. c. 20.) est auctor.

